

*Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma fuisti!*

*Ecce relaberis! ecce resolveris ordine tristi*

*Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma peristi!*

*Obruta moenibus, obruta moribus occubuiſti!*

*Urbs ruis inclyta, tam modo subdita, quam prius alta!*

*Quo prius altior, hoc modo preſſior, & labefacta.*

*Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma ruiſti:*

*Sunt tua moenia vociferantia: Roma peristi!*

*Clauda redis caput alta jaces apud omnipotentem,*

*Te tua propria clamat inertia ſtare jacentem:*

*Capta cupidine, ſordida crimine, ſecula cernis.*

*Capta reducere, ſordida tergere, ſecula ſpernis.*

*Es pia vocibus, ethnica moribus impietatis.*

*Catholicus ſonus ore ſonat bonus, & caret actis.*

*O dolor! o furor! o ſcelus! o pudor! omnia ſordent,*

*Criminis omnia, nil bene conſcia corde remordent.*

*Elet pudor, omnia creſcere turpia, cedere pulchra:*

*Hypocriſis micat, & Satanae dicat alba ſepulchra.*

Reliqua, quae huc pertinent, apud ipſum non fine animi commotione leguntur. Eſt vero ſcriptor ille Seculi XII. Monachus ex ordine Cluniaceniſi, ut ex Joanne Pitſeo confecit Gvil. Cave de Script. Eccleſ. p. 666.

§. XXIV.

Quando tandem de cultu imaginum & invocatione SS. agimus, & utrumque a Chriſti & Apoſtolorum aevo abeſſe, multis gravibusque argumentis defendimus, videmur adverſariis noſtris pro VIGILANTII & MESSALIANORUM aſſeclis, nec non CLAUDII TAURINENSIS declarandi, qui ſimili ratione cultum imaginum & SS. abrogatum voluerunt; Verum ſi nihil aliud errarunt, in haereticorum numerum male relatos eſſe arbitramur, jam vero de MESSALIANIS